

VII. Ex quo obiter colliges non officere libertati divinæ, quod indivisibili æternitatis mensura mensuretur, in qua nec est futurum, nec præteritum, et non possit in tempore de novo incipere, aut ante æternitatem poni, cum ante æternitatem nihil sit. Sed licet determinata volitio Dei sit tota æternitate mensurata, nec extra æternitatem esse possit, nihilominus libera est: ergo signum est quod ut actus sit liber, non requirit diversum instans seu durationem, scilicet futuram, vel præteritam, in qua potuerit, aut possit non esse, ut aliqui falso existimant; indeque inferunt Angelum in primo instanti suæ creationis non potuisse elicere actum liberum, neque bonum, neque malum, quia in illo instanti operatur, et sic non potest illo instanti oppositum operari, alias operaretur, et non operaretur pro eodem instanti. Ante illud autem instans non fuit aliud in quo posset operari, quia non existebat: ergo solum poterit libere operari pro illo secundo instanti, post primum suæ creationis. Et sic liber actus ut libere exerceatur, petit in hac sententia duo instantia, alterum pro quo potest indifferenter, alterum pro quo exercet de facto.

VIII. Sed hi omnino falluntur ut infra in materia de Angelis latius dicam. Et sufficit nobis modo illius sententiæ falsitatem convincere ex ipsa libertate divina, quam in Deo dari fides faetur; et non incœpisse in tempore actum illum liberum, sed æternitate mensurari, juxta eandem fidem tenendum est, et hanc æternitatem esse indivisibilem durationem sine præterito et futuro indubitarum est, et ante æternitatem non fuisse aliquam durationem, in qua dicatur Deus posse hoc, vel illud indifferenter, certius est: ergo dicendum, quod in eadem indivisibili duratione Deus exercet hanc li-

bertatem, et ita vult in tota hac æternitate, quod in tota illa potuit non velle. Et similiter Angelus in hoc primo instanti ita vult hoc objectum, quod potuit in eodemmet toto instanti non velle. Nec hoc majus mysterium habet, quam quod Angelus in illo instanti potest in sensu diviso et potentia antecedenti non velle, in sensu autem composito, et ex suppositione quod vult, non potest simul non velle, et idem est de Deo in æternitate, id est, non habet pro hoc instanti potentiam, ut simul in eodem instanti conjungat et componat velle et non velle, habet tamen in illo instanti potentiam ut velit dividere, vel non velit, ita quod sicut habuit velle potes, habere non velle illo ipso instanti quo habuit velle, licet tunc non haberet, si exiret in nolle. Ex suppositione autem quod habet pro hoc instanti, vel pro hac æternitate velle, non potest habere nolle, sed hoc est non posse ex suppositione, non autem simpliciter, et ex natura rei ut notat S. Thomas I cont. gent. c. LXXXIII et XXIII de verit. art. IV ad secundum.

IX. Ex quibus manet soluta ratio dubitandi ex isto secundo capite allata. Relationes quæ fundantur in actu immanente attingente creaturas ad intra, mutari non possunt, nisi mutetur actus ut immanens: dubitari autem non potest, quod non solum actio divina prout executiva ad extra attingit et respicit creaturas, sed etiam prout manet ad intra, et sistit in ratione volitionis et cognitionis, si quidem prout actus ad intra dirigit, ordinat, et disponit ab æterno de creaturis, juxta illud Pauli ad Ephes. I: *Elogit nos in ipso ante mundi constitutionem*, electio ergo ab æterno respiciebat nos: ergo in electione ut æterna, et non solum in temporali mutatione ad extra fundatur respectus

aliquis rationis ad creaturas, et ille ex parte fundamenti est immutabilis, et æternus, sicut etiam respectus idearum, licet alii respectus fundati in mutatione creaturarum in seipsis temporales sint. Quam diversitatem respectuum denominantium Deum, et quod quidam sunt immutabiles, scilicet fundati in actu immanenti ut immanens, alii mutabiles, scilicet fundati in actu ut transeunte et mutante ad extra, docet P. Thomas I p. II, q. XIII, art. VII ad III, et q. XIV, art. XV ad primum.

X. Ad difficultatem ortam ex tertio capite in articulo tertio supra propositam, quæ tangit motivum, et determinationem indifferentiæ voluntatis ex parte judicii, quo Deus movetur, seu determinat se. Ad hoc respondetur præsupponendo, quod ista determinatio et applicatio libera voluntatis non exigit novas rationes, motiva, aut propositionem ex parte intellectus, quia infinitus intellectus omnia comprehendit, et sub hac universalissima et omnimoda comprehensione voluntas ex omnibus illis eligit quod vult, et in unoquoque ordine quem eligeret, et reperiret convenientias sufficientes in ordine ad suam divinam bonitatem, et has omnes convenientias modo habet excogitatas et cognitatas et propositas voluntati suæ, et nihilominus voluntas eligit quod vult. Et semper quod elegerit illud erit optimum in ordine ad suam bonitatem, quia de omnibus ordinibus rerum sua bonitas optime disponit ex parte ordinationis ad se licet res ordinatæ non sint æqualiter optimæ in se. Unde D. Thomas quæst. I de potentia, art. V ad XI, inquit: « Quod in Deo quidquid ipse cognoscit est per modum excogitati, cum in ipso differat cognoscere actu et habitu: ipse enim novit totam potentiam suam, et quidquid potest. Unde omnium quæ

potest, habet rationes quasi excogitatas. » Constat ergo quod omnium quæ velle potest, habet Deus rationes, et convenientias propositas suæ voluntati, quia cognitatas. Similiter proponuntur ipsi practice, et secundum convenientias quas si voluntas eligeret, optimas et justas redderet. Et sic dicit S. Thomas ibi ad VII, quod: « Deus potest facere aliquid, quod nunc non est justum, quia non est, tamen si esset, faceret justum. » Et solutione ad XIV, quod: « Optima ratio, qua Deus omnia facit, est sua bonitas, et sua sapientia, quæ manerent, etiamsi alio modo faceret. » Et ad XV, quod: « Illud quod facit est optimum per ordinem ad Dei bonitatem; et ideo quidquid aliud est ordinabile ad ejus bonitatem, secundum ordinem suæ sapientiæ est optimum. » Constat ergo quod non solum hoc quod modo Deus facit est justum, et optimum, sed etiam si aliud, vel alio modo faceret, esset justum et optimum, quia faceret illud conformiter ad suam bonitatem et ordinatum ad illam, in quo consistit optima ratio ordinationis. Quare omnia ista motiva tam ad faciendum hunc præsentem ordinem rerum, quam ad faciendum alium ordinem, æqualiter et eodem modo proponuntur nunc Deo, ac si de facto alium ordinem rerum faceret, et justum ommitteret, quia licet creaturæ in se sint inæquales, et diversæ, tamen Deus ab illis non sumit motiva determinandi se, sed ex sua bonitate ad quam omnia ordinantur, et æque independens est sua bonitas ab hoc ordine rerum, et ab alio, cum nullo modo indigeat, nec minus salvatur si participatio ejus fiat sub hoc ordine rerum, quam sub alio. Quare cum omnia motiva sumantur ex parte bonitatis divinæ, et hæc infinite et comprehensive proponuntur voluntati, non est magis propositum hoc

bonum et motivum formale, quo de facto voluit hoc universum quam motivum quo nollet, vel aliud vellet.

XI. Cum ergo instatur: Si omnia motiva æqualiter et comprehensive sunt proposita tam ad volendum quam ad nolendum, ex quo iudicio magis determinatur Deus ad hoc, quam ad aliud?

Respondetur ex mera et sola voluntate, eligente inter infinitas combinationes, et motiva æqualiter, et comprehensive proposita id quod voluit. Unde signanter dicit Apostolus ad Ephes. I, quod: *Operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ*, quia videlicet Deus cum sit infinite comprehensivus omnium rationum, et motivorum ad volendum et operandum, non indiget consilio orto ex parte rei creatæ eligendæ, nec novo aliquo motivo, aut nova propositione, et iudicio mentis, sed totum consilium, et ratio motiva vertitur in voluntatem quæ omnibus motivis apprehensis et propositis omni modo seipsam determinat, et seipsa eligit et operatur. Quod si in opinione valde probabili ex duobus bonis æqualibus, et æquali modo propositis, potest voluntas eligere quod voluerit sine alio novo motivo, seu iudicio superaddito, non obstante quod voluntas nostra propter suam potentialitatem indiget moveri a iudicio intellectus, et ab objecto determinari, quanto melius hoc non solum erit opinio, sed certitudo, quod voluntas divina, quæ nullo modo est in potentia, sed purus actus, nec ab objectis ipsis determinatur, sed objecta determinat, propositis comprehensive omnibus motivis et convenientiis, tam ad volendum, quam nolendum, et æqualiter cognitis ex parte sua, et ad suam bonitatem non necessariis, aut æque convenientibus, potest sine novo iudicio, sed eodem stante,

velle, aut non velle, eligere hunc ordinem rerum, vel alium.

XII. Et ex hoc patet, quod motivum divinæ voluntatis est bonitas increata, ut est communicativa sui creaturis. Et hæc dicitur indifferens ad volendum, vel nolendum, non indifferentia potentiali, sed indifferentia eminentiæ, et domini super omnia, quæ est indifferentia universalissima activitatis, ad immutandum, et determinandum objecta, non ut ab objectis propositis determinetur, sicut nos. Unde omnia motiva et convenientias proponit in actu, et comprehensive attingit; et sic ad determinandum objecta non indiget novo iudicio aut præponderatione aliqua majori, et consilio ex parte intellectus, sed solo consilio voluntatis suæ, quæ ob sui infinitatem, et carentiam omnis potentialitatis, potest inter æqualia motiva sine novo iudicio determinare quod voluerit, quia non determinatur, seu movetur ab illis, nec proprie se determinat quasi ex indeterminato, sed objecta determinat.

Adhuc tamen objicies contra nostram resolutionem: Volitio libera Dei nihil addit super actum necessarium: cum ergo libere amat, nihil habet quod non haberet, si non amaret.

XIII. Dices: Habet terminationem ad creaturas.

Insto: Illa terminatio, vel est intrinseca Deo, et superaddita actui ut necessario, vel non. Si primum, est recidere in sententiam Cajetani attributam de perfectione voluntaria, quæ Deo deesse potest, nempe illa terminatio intrinseca. Si secundum, inciditur in sententiam Vasquez, Aureoli, et aliorum qui liberam determinationem sumunt ab extrinseco. Nec potest ista terminatio et tendentia entitative identificari cum actu necessario et non

convenire Deo necessario, et denominare quia forma hoc ipso quod est in subjecto dat effectum formalem: ergo si illa terminatio est necessarius actus Dei, et Deo, necessario illi convenit, illumque denominat.

XIV. Dices: Convenit quidem Deo necessario entitative et subjective, non terminative et objective, quia in ordine ad objectum involvit causalitatem, qua causat illud, et hæc non est necessaria. Cæterum hoc est incidere in sententiam Arrubal supra impugnatam, quod libertas sumatur in Deo ex causalitate, qua res producit, cum potius ideo causalitas sit libera, quia ex voluntate libera est: supponit ergo causalitas libertatem in actu volitionis, non constituit. Quod si dicatur liberum actum involvere causalitatem ut terminum, quia terminatur ad illam, redit argumentum jam factum determinatione actus ad objectum; idem enim est terminari ad creaturam ut ad objectum, vel ad causalitatem an illa terminatio, quæ libere adest, vel abest, sit intrinseca Deo realis, vel rationis. Et primo modo inciditur in opinionem de perfectione voluntaria Dei. Secundo modo in opinionem de libertate, quod sit dominatio extrinseca, vel per aliquid rationis constituta. Denique, dici potest quod contingentia illa libera, seu attingentia volendi creaturas est prædicatum intrinsecum, licet entitas illius volitionis sit necessaria, quia volitio illa, ut tangit creaturas, connotat amabilitatem objecti, saltem in esse possibili: nam in esse actuali jam supponit liberum actum, talis autem amabilitas non necessario movet aut terminat Dei volitionem. Nec est novum eandem entitatem seu formam non communicare omnem effectum suum ex defectu aliqujus extrinseci, sicut veritas muta-

tur in mente ex mutatione objecti ad extra, relatio paternitatis ex defectu filii, bonitas moralis ex mutatione legis, licet ista non distinguantur entitative a suis fundamentis. Sed contra est, quia in istis exemplis ex defectu connotati extrinseci deficiunt relationes, et realiter mutantur in fundamentis; ex mutatione autem creaturarum nihil realiter mutatur in Deo, et sic non sunt ad propositum. Deinde, quia incidit in illud inconveniens, quod rebus omnino invariantis, idem actus poterit connotare, et non connotare objectum, velle et non velle. Nam actus ex parte Dei est entitas invariabilis, creaturæ ut possibles amari omnino necessitatem habent: ergo vel semper connotabit actus creaturas, vel nunquam, et sic non libere; vel connotabit, et non connotabit rebus eodem modo invariantis.

XV. Hanc eandem objectionem, quæ in vi, et substantia non est alia, admirationibus alii amplificant. Quomodo potest forma, quæ est entitas necessaria, et necessario conveniens subjecto in actu, dare effectum liberum, et contingentem aut suspendere, ut det aliquem effectum et non denominet volentem, v. g. alium mundum, aut nolentem istum, si habet actu formam illius volitionis et istius nolitionis? Quod si ut præbeat istum effectum dependet a creatura, ut a connotato, quomodo est vera ista causalitas: Quia Deus libere vult hominem esse, homo est: nam antequam homo sit, debet dari libera volitio in ratione liberi: est enim causa hominis: ergo ante connotationem hominis debet præbere effectum formalem liberi in ipso Deo; ante connotationem autem illam, totum quod est in illo actu necessarium est, et necessario est in Deo: ergo non est liberum, de ratione enim